aures, menteſque intendendæ ſunt ad divinum hoc ſemen cum fructu recipiendum: quælibet enim prædicatio præparatio eſt, atque principium magnorum conſiliorum, quæ ab æterno cepit Deus, ut animas noſtras ad beatam perduceret æternitatem, & ſicut ſemen in ſeminali virtute ſua totam complectitur meſſem, ita concio una plerumque eſt ſemen magnarum illarum virtutum, quæ Sanctos fecerunt. Negligere igitur divinum verbum ex ore Concionatorum prolatum, hoc eſt adire periculum amittendi fructum propriæ ſalutis; quoniam juxta divinæ providentiæ conſilium divinum hoc ſemen nexum habet cum ordine, quem conſtituit Deus pro ſalute noſtra, ut ſi illi requiſitam mentis attentionem negemus, noſmet privemus gratiis, quas ad nos ſalvos faciendos Deus deſtinavit. *Idem*.

Una ex rationibus, propter quas modicum percipimus fructum ex Concionibus, Deique verbo: hæc eſt, quod menti noſtræ ſatis eſt ſimplex, ſteriliſque meditatio rerum generalium, quin has nobiſmet ipſi applicemus, quod nobis eſſet faciendum. Ad hunc reditum, & noſtri mali ad noſmet ipſos applicationem nos invitat Scriptura verbis iſtis: *Revertimini ad cor: Scito, & vide, quia amarum eſt, te dereliquiſſe Dominum*. Jerem. 2. Noverat quidem David ſe duo magna commiſiſſe peccata, Uriæ cædem, & adulterium cum Berſabea, ſed illa non noverat niſi in propoſitione generica, & confuſa, & ibi morabatur. Quamobrem Nathan ſciens magna ſibi opus eſſe prudentia, ut magno Regi illius ob oculos delicta poneret, uſus eſt ea parabola, quam nemo non didicit; cumque illi repreſentaſſet hominis inhumanitatem, qui non voti compos, eo quod alteri ovem unicam, quam tamquam ſeipſum diligebat, eripuerat, vitam quoque eidem abſtulit, ita callide ſuum conſilium, ſermonemque inſtituit, ut eo redegerit David, ut mortis ſententiam contra illum proferret, & diceret, *homo ille reus eſt mortis*, Hic loci illum præſtolabatur Propheta, eidem ſententiam ipſius applicaturus, eiſque dicturus, *Tu es ille vir*; tu in caput tuum hanc mortis ſententiam tuliſti. Quæ ubi facta fuit applicatio, Rex ait: *Peccavi Domino*. 2. Reg. 12. In hoc ſitu plerumque ſumus. Concionatorum redarguitiones tamquam parabolas accipimus vel tamquam pulchras imagines, ſed quis eſt ille, qui ex ſemet ipſo quærat; num ego ſum mortis reus? Duplex eſt veritatum genus, S. Auguſtinus inquit; alia veritas lumen eſt, quod illuminat, alia ignis eſt, qui comburit. Alia docet, alia redarguit. Unuſquiſque facile doctrinam recipit, ſed vult evitare correptionem, & probrum, ad quod avertendum correctionem ſibi renuit applicare. *Idem*.

Dei verbum ad animam nutriendam non eſt minus neceſſarium, quam panis materialis ad corpus nutriendum.

Panis verbi Evangelici cognitio eſt veritatum religionis Chriſtianæ fides & doctrinæ illius, & inſtitutorum ejus. Magna hæc inſtituta ex Concionatorum ore audire, ea in ſancti libri legere, eſt illa manducare. Ea ſibi repræſentare, jugiterque meditari, eſt ſeſe illis alere, ac roborare; eſt, ut ita dicam, in propriam ſubſtantiam convertere; & hæc omnia facere, via eſt ad habendum tot purum, & ſanctum, & charitate plenum in omnibus affectionibus ſuis: uſus enim hujus panis ſpiritualis, myſtici non minus neceſſarius eſt ad fovendam in nobis ſpiritualem animæ vitam, qualis uſus eſt panis materialis, quo quotidie veſcimur ad vitam corporis in nobis tuendam. Medicus uſus hujus ſpiritualis alimoniæ nos adeo infirmos efficit, ubi bellum indicendum eſt noſtris cupiditatibus, ac triumphus de inviſibilibus hoſtibus referendus: Modicus cœleſtis hujus pabuli uſus non reddit imbecillos, & languidos, ubi reſidendum eſt validis cupiditatum noſtrarum oppugnationibus, & in cauſa eſt, ut in ipſo ſtatim belli principio ſuperati, victique cadamus. *Modus recitandi Dominicam Orationem, & recens Auctor*.

Semper in eccleſia Dei plurimi viſi ſunt fungi munere prædicationis. Quis hodie numerare poſſet omnes adhortationes, ac Sermones, qui fiunt, in magnis urbibus una tantum in Quadrageſima? Quadrageſima vero abſoluta quam pauci videntur peccatores agere pœnitentiam? Nulla ferme videtur morum emendatio; eadem vitia ubique graſſantur: eadem ſemper peccata committuntur, nemo minus irreligioſus eſt, minus, quam ante impudicus. Unde hoc malum? Inde proculdubio, quod licet diſerti ſint ſermones, florentes, eruditione uberes, & nulla in re deficientes, tamen non ſunt charitate animati, neque amplius in illis invenitur divinus hic ardor, qui verbo dat efficientiam, & audientes inflammat. Neque ideo dixerim, Concionatores non incaleſcere, & de ſuggeſtu non detonare; ſed illis deeſt, quod deſideratur ad permovendos animos, & id præ ſe ferendum verum zelum honoris Dei, & ſalutis proximi. S. Petrus numquam didicerat artem eloquentiæ; norat ſolum piſcari, & ſarcire retia, nihilominus cum requievit ſuper illam Spiritus Domini in ſpeciem linguæ igneæ, tanto ardore, auctoritate, & vi cœpit prædicare, ut uno tantum Sermone tria animarum millia converterit; quin tamen extra ordinem declamaret, ſeque agitaret. Undenam fit, ut S. Franciſcus Aſſiſis, S. Vincentius Ferrerius, S. Bernardinus, S. Antonius Patavinus quamplurimus peccatores converterint? niſi quod licet Sermones eorum ſimplices eſſent & ſine fuco; eorum tamen corda divini amoris igne æſtuabant. *Card. Bellarm. in Opuſc.*

Verbum Dei eſt verbum vitæ.

Dei verbum ſimile eſt plantis ſalutaribus, quarum virtutes non omnes agnoſcunt. Duo in prato deambulant; alter quidem promiſcue calcat herbam pedibus ſubſtratam, & nihil de eadem cogitat; alter vero inter calcatas herbas detegens quaſdam in medicinæ uſum peropportunas, has diligenter colligit, & aufert in morbis depellendis adhibendas. Ita ex duobus hominibus audientibus, vel legentibus verbum divinum alter pertranſit, quin ad lecta, auditaque animadvertat, cum interim alter attente ſingula conſiderat eaque ſuis neceſſitatibus applicat. Hoc autem illinc oritur; quod prior ille divini verbi pretium ignorat, poſterior autem agnoſcit omnes utilitates illi inhærentes, & inter ceteras immortalis vitæ donum illud ſervantibus promiſſum: *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum*. Jo. 9. Quanta cura non ſervaretur herba, cujus uſus confert ſolum centum vitæ annos? Quanti ergo a nobis faciendum eſt J. C. verbum? Qua cura, & ſedulitate colligendum eſt? Quandoquidem uſus illius nobis æternam vitam certiſſime pollicetur. *Mortem non videbit in æternum, P. Segneri Tomo 3. Meditat.*

Cum J. C. promittit eos, qui verbum ſuum audierint, & ſervaverint; nequaquam morituros eſſe, non loquitur de fluxa hac, & perfunctiora morte, qua damnati ſimus, & quam ille ipſe pertulit. Promittit enim vitam novam poſt hanc, vitam beatam, vitam perfectam, & numquam defuturam. Evangelii ſui prævaricatores non hac vita vivent. Reſurgent quidem, ſed ut in ſingula monumenta in inferno ſeviſſimis torqueantur doloribus, quorum ſimiles mors eadem non parit. Secundo qui divini verbi pane nutritur, quodammodo ex hoc ipſo tempore æterna vita fruetur: inde enim haurit vim invictam, quæ animam ipſius reddit tamquam invulnerabilem telis peccati. *Fili mi ſerva mandata, & vives*. Prov. 7. Serva legem Chriſti Jeſu, & numquam ſupernaturalem gratiæ vitam amittes. Sed cum mors corporis proficiſci valeat vel ab infirmitate naturæ, vel fortuito, vel hoſtis vi, mors etiam animi ex ſimilibus principiis oriri poteſt. *Idem*.

Fructus quos recipit anima ex Dei verbo.

Mala quædam affectio in vobis interiorem hominem debilitat? Hunc ſæpius nutrit verbo J. C., & vos ſolidabit. In repentino verſaris periculo? In mentem revoca verbum Jeſu Chriſti, & hoc te ſuſtinebit. Tentator te laceſſit Spiritus? Præcinge te verbo Jeſu Chriſti, & hoc omnes illius conatus irritos facies. O quam efficax eſt verbum Dei! quam jucundum tibi eſſe debet! *Fili mi auſculta Sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam; ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui: vita enim ſunt invenientibus ea* .... Prov. 4. *Idem*.

Ut ex divino verbo omnes percipiamus commoda illi inhærentia, illud in corde gerendum eſt, faciendum eſt ſermonum noſtrorum argumentum noſtriſque bonis operibus ſuſtinendum eſt. Primum cum Dei verbum altius cor noſtrum pervaſit, ſpiritus illud haud ægre meditatur; ubi opus ſit, memoria illud facile repetit, cum videlicet adſunt peccandi occaſiones: *In corde meo abſcondi eloquia tua*, dicebat David. Pſalm. 118. *ut non peccem tibi*. Secundo verbum Dei locum habere debet in ſermonibus noſtris, ut aliis oſtendamus, & aliis inſtillemus, quo in honore a nobis habeatur. Ignavi ſolum, & infirmi ſe pro illo ſtare erubeſcunt, qui ſane merentur per pudendam hanc verecundiam, ut illis, ubi opus eſſet, deficeret. Quid nobis in hac re præſtandum eſt ſuper ea, quæ Rex Propheta de ſe ipſo teſtatur Pſal. 118. *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia juſtitiæ tuæ*. Sed tertio loco maxime neceſſe eſt divinum ſuſtinere verbum operibus noſtris: videlicet illud in praxim redigere, illi omnem vitæ rationem conformare. *Levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in juſtificationibus*, Pſalm. 118. *Idem*.

Ad examen revoca, qua cura utaris verbo Domini in tribus hiſce modis. Fortaſſe aliquam nanſciceris difficultatem; ſed ſi hinc te difficultas terret, inde fructus debet te inflammare. Hæc ſunt *verba vitæ æternæ* Jo. 6.

Joan. 6. Quid igitur eſſet, negligeres illa? Sicuti ſunt verba vitæ obſervantibus ea, verba ſunt mortis negligentibus illa. Verbum tuum, Domine, pars eſt pretioſa hæreditatis, quam nobis in terra reliquiſti: meum eſt illa frui, & jugiter inde robor accipere, quo in vitæ hujus peregrinatione indigeo. Undenam ergo nullo mihi eſt in diſcrimine divinum hoc pabulum? Virtutem illius numquid ignoro, an contemno? Qua cura perquirerem alimoniam, quæ hic in terris dies meos eſſet productura? Numquid nihili facio vitam gratiæ, quam divini verbi uſus mihi tueri poteſt, vel reſtituere? Numquid nihili pendo glorioſam immortalitatem, cujus verbi divini uſus in me germen eſt? *Idem*.

Bonum, quod verbum divinum nobis procurat.

Si me debilitatum ſentio, in verbo tuo robur invenio; ſi mihi periculum imminet, in illo celerem opem reperio; ſi me obſident ſalutis meæ inimici, illud mihi eſt certiſſimum præſidium. Ex hoc igitur tempore divinum hoc verbum guſtabo, & erit illud meæ deliciæ. Deferam illud indeſinenter in mente, & corde, ut illud mihi præſto ſit, ubi opus fuerit. Hoc erit ſermonum meorum argumentum, ut oſtendam, quam ſit mihi jucundum, & ut ejus amorem aliis etiam inſpirem, atque hunc in meis operibus exprimam, ut illius praxim aliis etiam commendem. Tunc Salvator mi, verbum tuum erit mihi vitæ verbum. Sed adhuc opus eſt, ut per gratiam tuam iterum mihi in corde loquaris. Fac id, Domine, quæſo. Sed fac tanta vi, & ſuavitate, ut tibi ultra reſiſtere nequeam. *Idem*.

Suſcitavit Dominus hoc ſæculo homines Spiritu ſuo repletos, qui ab Evangelicis ſermonibus aridæ, jejunæque ſcientiæ oſtentationem ſubmoventes, unice ſeſe abdiderunt reformationi morum, & mira cura evolverunt inania hæc ſecreta, quæ amor proprius tot celat integumentis, ut evitet verecundiam illorum cognoſcendorum, & impugnandorum laborem. Sed clanculum gemunt, ubi vident auditores ſuos plaudere manibus, dum pectus ſuum tundere deberent, in templis quæ prorſus mundanis acclamationibus polluerunt, cum pœnitentiæ tantum ſingultibus perſonare deberent. Amor proprius, qui ſibi uni blandiri cupit, gaudet ſe ipſum in fideliſſimis ſpeculis ſuas artes inſpicere, admirari pulchritudinem immaginis ſuæ, ſed non putet illum vitii. Heu! Cavete ne Deus diſtincte puniat verbi ſui contemptum. *Abbas du Jarry in diem Cinerum*.

Magnum diſcrimen inter duos Evangelii præcones.

Opus eſt, ut vobis tanquam in Tabula exhibeam duos longe diſſimiles Concionatores; alterum, cujus eloquentia prorſus erat profana; alterum, cujus ſermones ſancti erant, atque Chriſtiani. Initio ducam a priori. Sermo illius floſculis rhetoricis plenus erat, nullum prætermiſerat lenocinium, quod commendare poſſet ſermonem ſuum, & compoſitionem, & quæcumque ornamenta, quæ oratori in mentem occurrere poſſunt, erant in ſermone illius in ordinem miro artificio diſpoſita. Schemata præter propter ſecundum regulas erant collocata; materia inflata erat quampluribus locis communibus, Locutiones omnes erant magnificæ, & omnia recentia vocabula delectam habebant ſedem, & pulchre renitebant. Exteriori huic apparatui reſpondebat dignitas geſtus, & actio Concionatoris. Venuſta erat pronuntiatio, & dicere poſſumus eloquentiam, corporis totius, ac oris elegantiam concomitatam fuiſſe. Attentiſſimus fui ad ea, quæ dicebat. Plurima valde bona protulit, ſed nihil eorum moverunt me, & animadverti, concione tota neminem fuiſſe commotum, & omnia illius tela adeo accurate contorta leviter perſtrinxiſſe extimam animæ ſuperficiem, ſed non admodum adſtantium corda penetraſſe. Omnes iſti conatus, & torrentes eloquentiæ ſonitus inſtar pertranſierunt, & qui ſecum ubertatem adferrent, & lacrymarum fluvios excuterent, poſt ſe, ut ita dicam, inanem tantummodo ſpumam reliquerunt. Quemadmodum quæcumque ex morali diſciplina attingebant, ex labiorum dumtaxat ambitu proficiſcebantur, non autem ex corde, & plus ingenii, qua roboris habebant: ita non proceſſerunt ultra auriculas audientium, cor vero ipſum penetrare non potuerunt. Longe aliter accidit alteri Concionatori. Verba illis vivida fuerunt, & efficacia; cumque proficiſceretur ex cordis ipſius abundantia animas maxime induratas confoderunt, & amariſſimas lacrymas elicuerunt. Animadverti illum cum audacia fuiſſe concionatum, ſed audacia, cui adjuncta erat ſapientia, atque prudentia. Vis ſermonis illius erat mitigata; Pulchritudine modeſta, & ornamenta non permiſſa tantum, bonique exempli, ſed ea quoque, quæ ſunt neceſſaria, ſine ulla profuſione erant adhibita. Ratio loquendi licet non eſſet adeo elegans, ut in altero, erat tamen admodum nobilis, & verborum proprietas: quæ perfecte argumentum ſuum exprimebat, optime ſervabatur. *Recens auctor*.

Mundi Salvator ſæpe obrutus fuit multitudine, quæ illum premebat, ſermones illius auditura: *Cum turbæ irruerent in JESUM, ut audirent verbum Dei*. Quæ res damnat modicam curam, quæ nobis eſt audiendi divini hujus verbi, quod, ut ipſa veritas inquit, eſt hominis alimentum: *Non ex ſolo pane vivit homo: ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei*. S. Chryſoſtomus mirum in modum ait, Dei verbum eſſe univerſale ſubſidium omnibus neceſſitatibus noſtris, & generale remedium omnibus infirmitatibus noſtris. Verſamur in tenebris? nos illuminat. Aberravimus? nos reducit in viam. Triſtes ſumus? nos conſolatur. Cecidimus? nos attollit. Qui igitur negligit illud, ſe ipſum omni privat ſubſidio; neque mirum eſſe debet, ſi tot languent Chriſtiani; quoniam negligunt divino hoc ali verbo, quod illis præberet vires ad conſtanter ſuſtinendas omnes tribulationes, quæ illos turbare poſſent in variis occaſionibus, quibus in miſerabili hoc exilio poſſumus agitari. Mirari non debemus, ſi dæmon de tot animabus triumphat; quandoquidem non confugimus ad divinum hoc verbum, quod nobis ſuppeditaret arma, ad repellendos omnes callidi, & crudelis inimici incurſus. *Tourneaux in Aventu Chriſtiano Tomo* 8.

Non præſtare aures verbo Dei, eſt fugere lumē, quod noſtræ converſioni prodeſſe poteſt.

Qui fugiunt veritatem, & hoc pacto oſtendunt, quanto eamdem habeant in odio, hi ſunt, qui Dei verbum libenter non audiunt propter rationem, quam ipſe Salvator memorat in Evangelio. Qui peccat, odit lucem, ne ſcelerum ſuorum rubore ſuffundatur. Veritas, quam ſecum fert verbum Concionatoris, lumen eſt, quod ſeſe effundens in animam peccatoris jampridem in voluptatibus ſuis conſepulti totum illius horrorem detegit. Viſio hæc illius requiem perturbat, & hæc turbatio ciet in illo odium veritatis. Lumen triſte, & importunum, quod illis aperit, quidquid ſemper impedimento fuerat, ne videret. Hoc bona fide fateamur. Odium veritatis, quam timemus, ſæpe prohibet, ne aſſidue concionibus adſimus. Alias plures rationes adferimus; ſed hæc vera eſt. Ille ſibi plura eſſe inquit negotia; hæc tamen vera cauſa non eſt, ſed quia nimis multas exercuit injuſtitias, ac timet, ut ſibi audienda ſit concio de de reſtitutione. Iſte ait, paucos a ſe inveniri Concionatores, qui ſibi placeant, quod non innuit a ſe inveniri non poſſe id genus oratores: ſed timet, ut inveniat eos, qui illum excitent ex ſopore ſuo, & cieant ſtimulos, quos ægre jugulavit. Sed quinam eſt hujus facti ratio! Quid inde intendimus! Si nobis eſt intentio claudendi oculos, ut audacius noſmet in periculum conjiciamus, morituri uti vivimus, indurati, & impœnitentes, cumque mors noſtra eſſe nequeat niſi echo infamis vitæ noſtræ, ſequitur finem noſtrum non niſi calamitoſiſſimum eſſe poſſe. Quid in hoc efficere poteſt Concionator, niſi lacrymis proſequi deſperationem adeo damnabilem? Sed ſi quæ ſuperſunt adhuc ſalutis cogitationes, ſi quod nobis adhuc ſupereſt deſiderium, niſi illi abrenuntiavimus, fatendum eſt ex ſubmiſſione noſtra divino huic verbo, quod fugimus, quod timemus, cui oculos claudimus, pendere ſalutem, quam ſperamus. Libenter ergo audiamus verbum divinum, ut vim faciat in mente noſtra, & in corde; inde enim noſtra pendet converſio. Hoc pacto fieri debet in nobis hæc mutatio noſtrum metipſorum erga Deum, quæ una efficere poteſt, ut ille ſententiam mutet prolatam adverſum divini ſui luminis inimicos. *Sermones, & inſtructiones P. Aurelianenſis Tomo* 1.

VESTES.

Luxus, & immodeſtia veſtium, indumentorum, ornatuum, &c.

MONITUM.

EXCESSUS, quo nunc temporis luxus, atque veſtium, ornatuumque perditus amor, ac ſumptus evaſere, exigunt proculdubio, ut concionatores tanto huic occurrant malo, ſimulque illis uberem ſuppeditant locum una zelum, & eloquentiam ſuam expromendi: immo affirmare etiam poſſum, nullum eſſe argumentum, quod ampliorem tribuere poſſit rerum, verborumque copiam eleganti ſimul, utilique concioni, & in quo plures Sancti Patres, veluti S. Cyprianus, S. Chryſoſtomus, ac Tertullianus majori facundia triumpharint.

Quamobrem arbitratus ſum mihi de veſtimentorum luxu peculiariter agendum eſſe, quin illum ſub titulo luxus complecterer, ſub quo menſæ, familia, ſupellectilium, &c. luxus continentur, de quibus nonniſi obiter aliis in ſermonibus verba fieri poſſunt. Non ita tamen de ornatuum, indumentorumque luxu ſtrictim adeo verba facienda ſunt, ut ſermo non incidat de immodeſtia, quæ plerumque comes accedere conſuevit recentibus hiſce veſtium ritibus, quæ verecundiam ſimul, atque decorum laceſſunt. Verum animadvertendum eſt, quamvis generis luxus ſit utrique ſexui communis, in muliebri tamen quavis ætate potiſſimum viguiſſe, & ad extremum uſque proceſſiſſe: quapropter mirum eſſe non debet, ſi ea fere omnia, quæ afferentur a nobis, ad mulieres præſertim referri videantur.

Concionatori ſolum cavendum eſt, ne per hypotheſim nimis peculiariter deſcendat ad ornatuum ritus non ita pridem invectos, & ne quadam calanticarum, reticulorum, aliarumque id genus nugarum vocabula proferat, quæ aptiſſima quidem ſunt ad mundanarum mulierum vanitatem in jocum traducendam, ſed quæ parum decent ſuggeſtus gravitatem, & quæ riſum ab auditoribus elicerent, non autem illis eam inſpirarent indignationem, quam concipere debent contra tantum hoc malum, quod paſſim ubique graſſatur, & quod eſt tot ſcelerum cauſa.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti ſyſtemata.

I. DUplex effectus, quem homines diligentius mortalium oculis abſcondere ſatagunt, & quem nihilominus frequentiſſime ſibi dominari permittunt, eſt amor inanis gloriæ, ac impuritatis. Vaniſſimus quiſque, laudumque cupidiſſimus adfectatæ modeſtiæ fuco illas aſpernari velle ſimulat; & illos, quorum cor libidinis æſtu corruptiſſimum eſt, pudet, ſi in apricum proferantur obſcænæ cogitationes, ac turpia deſideria, quæ clanculum fovent. Hi tamen ſunt affectus duo, duoque vitia, quæ palam detegere non erubeſcimus, atque mortalibus omnibus aperire, alterum quidem per luxum, & pompam, alterum vero per immodeſtiam veſtimentorum. Hoc eſt concionis argumentum, atque partitio.

Pars prior. Cum Deus, hominesque ſuperbiam oderint, cumque oſtentatio vanum hominem mortalibus contemptibilem præbeat, mirum eſſe non debet, ſi qui vanitatem conſectatur, nihil relinquit inauſum, ut hunc animi celet affectum, ita ut non agnoſcatur ab illis, a quibus contemneretur, ſi intelligerent illum: unde patet eos, qui perdite inanem gloriam adamant, atque ſeipſos plurimi faciunt, ſeſe humilitatis integumento ſæpius involvere, ut aliorum exiſtimationem, plauſuſque ſibi concilient, abnuentes eas, quæ ſibi deferuntur, laudes, ac ſe illis mereri negantes. Verum hoc idem vitium, hunc eumdem affectum, qui altius in cordibus eorum radices jecit, palam proferunt, atque mortalium omnium oculis objiciunt per luxum magnificorum indumentorum ſuorum, in quibus oſtendunt 1. iniquiſſimam, indigniſſimam, ineptiſſimamque vanitatem; cum enim pœna ſint, ac nota peccati primi parentis, & quædam veluti deturbatio ab eo ſtatus glorioſi gradu, in quo Deus ipſum creaverat; indigna vanitas eſt ſuæ ignominiæ, atque confuſionis argumentum ſibi in gloriam convertere. 2. Vanitas eſt, atque ridicula oſtentatio non ex meritis, virtutibus, & animi ornamentis, quæ hominem ultra genus, vel conditionem ſuam poſſunt attollere, gloriam inquirere, ſed illam ex rebus externis, quæ neque meliorem, neque perfectiorem faciunt, & quæ cum nequiſſimo quoque illi communes eſſe poſſunt, mutuari, & emendare. 3. Hæc vanitas irrationabilis eſt, quæ oſtendit ſpiritus imbecillitatem ornari iis rebus cupientis, quæ ſunt viles, abjectæ, atque toto cœlo infra ipſum poſitæ; videlicet animantium exuviis, & bombycum excrementis, quibus hominum opinio pretium adjecit. Videre igitur hominem de his rebus gloriari, & per hæc in ſe hominum ora, vultuſque convertere, exiſtimationem, auctoritatemque aucupari, næ hæc maxima eſt humanæ mentis infirmitas, atque integra rationis perturbatio, &c.

Pars altera. Cum impuritas, & inhoneſtus amor non majorem injiciat maculam, & confuſionem homini, quam vanitas, & oſtentatio, ubi turpis hic affectus ex aliqua nota interniteſcat, & natura mulieribus præſertim pudorem inſpiraverit, ſine quo ſumma videretur impudentia, & generalis confuſio: reor, illas nulla re magis deterreri poſſe ab affectione illa, qua ornatus, muliebremque mundum depereunt, quam ſi oſtenderimus, ipſas hoc pacto eam prodere cupiditatem, quæ una omnium illis turpiſſima eſt, & quæ præ cæteris eiſdem dedecus afferre poteſt. Hoc autem indumentorum efficit immodeſtia. 1. Quia hoc pacto ſe ipſas ornant, & comunt, ut placeant, ac venuſtiores accidant illis, qui in eas oculos conjicient. Nam quidquid effutiant, & quaſcumque alias rationes afferant, hi prætextus inanes ſunt, ut mentis nequitiam abſcondant. Mulier autem, quæ placere geſtit, ac in ſe amorem virorum convertere, oſtendit, per ſe non ſtare, quominus amorem concipiat; neque ſatis pudica eſt, ubi ſeſe periculo objicit, ne capiatur illecebris, aſſentationibus, blanditiiſque eorum, quibus placere contendit. 2. Quia veſtimentorum immodeſtia, hi recentes indumentorum ritus, a quibus ſcandalum non abeſt, hæ, quas adfectant, nuditates manifeſta ſunt corruptionis cordis earum argumenta. 3. Cum hominibus ſcandalo ſint, illis imputanda ſunt omnia crimina, quæ illi hac in re committunt. Præterquamquod ſi cordi earum eſſet virtus ea, quæ ſexus ipſarum decus eſt; & gloria, nulla eſſet conditio, vel ſtatus, vel conſuetudo, vel alia ratio aliqua, quæ illas cogere poſſet, ut ſuum proderent officium, ſuamque conſcientiam. Concioni finis injiciendus eſt orando puellas, ut hac in re earum, quæ magis modeſtæ ſunt, ſequantur exemplum, & ſi ætati earum aliquis ornatus permittitur, effugiendam ſemper illis eſſe immodeſtiam, quæ cum ſcandalo conjuncta eſt, & hanc nimis adfectatam, exquiſitamque indumentorum munditiam.

II. 1. Veſtium luxus vanitas eſt ridicula, atque crudelis, cum interim pauperibus deſit, unde ſe ipſos tegant, & alant. 2. Manifeſta eſt tranſgreſſio eorum, quæ in baptiſmate polliciti ſumus. 3. Nota eſt modicæ verecundiæ; triplici verbo, luxus, atque indumentorum immodeſtia chriſtianæ humilitati, chriſtianæ religioni, chriſtianæ modeſtiæ adverſatur.

III. 1. Per luxum, veſtimentorumque immodeſtiam obſiſtimus voluntati Dei in indumentorum inſtitutione, quam ipſe primo parenti poſt peccatum impoſuit. 2. Sæpe animam proximi perdimus per ſcandalum, quod illi tribuimus. 3. Oſtendimus noſmet ipſos animam peccato mancipaſſe, & cor noſtrum corruptum eſſe.

IV. 1. Magna cura, qua corpus ornamus, plerumque argu-

argumentum eſt modicæ curæ, quam animæ noſtræ gerimus. 2. Argumentum ſi modicæ curæ, quam chriſtianæ mulieres gerunt exiſtimationi ſuæ, virtutiſque ejus, qua nihil illis eſſe deberet antiquius. 3. Argumentum eſt modicæ religionis, quam habemus in corde, quia palam, & impune violamus ea, quæ chriſtianæ fidei nomen dantes promiſimus.

V. Quæritur, quodnam peccatum ſit luxus veſtium, contra quem concionatores ſæpe invehuntur; vel quænam lex violatur ab illis, qui nimiam veſtimentorum lautitiem exquirunt, & reſpondeo.

1. Hanc publicam eſſe abnegationem chriſtianæ religionis, quam ſumus amplexi, & quam amplectentes polliciti ſumus, noſmet pompis, & vanitatibus mundi eſſe abrenuntiaturos. 2. Peccatum eſſe impudicitiæ, quæ in ſemet, ac in aliis excitat mulier per immodeſtiam, ac parum decoros indumentorum modos. 3. Peccatum eſſe ſcandali, quod per pravum hoc exemplum aliis præbetur.

VI. Veſtium luxus vanitas eſt turpis, atque ridicula; veſtimenta enim, quæ gerimus, notæ ſunt noſtri peccati, noſtræque in communi hominum parente rebellionis, 2. Noxia eſt ſuperfluitas; ſumptus enim, quos in hæc impendimus ornamenta, in pauperibus induendis eſſent erogandi. 3. Pernicioſum eſt ſcandalum, quod proximo tribuitur.

VII. 1. Magnificæ veſtes, & mundana ornamenta illis ſuperaddita magnum crimen eſt propter finem, quem ſibi proponunt mulieres aliis placendi, ac ſe gratiores præbendi, cujus rei facila redargui poſſunt illæ, quæ hoc indumentorum genere utuntur, quia cum ſolæ ſunt, vel cum palam prodituræ non ſunt, ſe minime comunt, & ornant, 2. Peccatum eſt propter immodicos ſumptus, qui ſæpe rei familiari detrimentum afferunt, æs alienum conflant, deinceps non ita facile diſſolvendum. 3. Propter ſuperbiam, aliaque vitia, quæ in nobis, aliiſque excitant.

VIII. Cum veſtes, & ornatus, qui illis accedere conſueverunt, ex ſe nullo ſint in diſcrimine, atque ipſa etiam morum diſciplina in virtutum albo deſcribat munditiam, & urbanitatem illam, qua tecti in publicum prodire, & in cœtibus converſari debemus, indumentis, ornatibuſque tres potiſſimum ſervandæ ſunt regulæ.

Prima eſt, quod citra ſcandalum, artem, luxumque ſint.

Altera, quod ſingulorum conditionem, ætatem, & mores, qui vigent, maxime deceant.

Tertia, quod his comites adſint ornatus alii, a quibus alium fulgorem mutuentur, & qui illas ſanctificent, cujuſmodi ſunt pudor modeſtia, verecundia.

IX. 1. Luxus, & immodica ornamentorum cura argumentum eſt tenuis ingenii, quod in nugis immoratur, & quod in illis totum eſt: unde fit, quod hoc eſt mulierum ingenium. 2. Argumentum eſt mulieris parum frugi, ac in vitium pronæ.

X. 1. Malum, quod mulieres potiſſimum criminoſa hac vanitate committunt. 2. Malum, quod efficiunt, ut ab aliis committatur, & cujus deinde coram Deo illis ratio erit reddenda.

XI. 1. Veſtium luxus ſumptus eſt ſuperfluus, & noxius publicis calamitatibus, cum interim tot pauperes extrema neceſſitate confecti gemant. 2. Otium eſt laborioſum, ac moleſtum; non deſunt quippe mulieres; quæ dimidium diei in ſeſe ornandis, comendiſque tranſmittunt, alterum vero dimidium in viſitationibus reddendi, recipiendiſque, & ſunt, quæ totam ancillarum, famulorumque cohortem in veſtibus, ornatibuſque præparandis ſollicitam habent. 3. Elegantia eſt parum decens propter indecoras nuditates, quæ facere non poſſunt, quominus omnibus inſpectantibus ſcandalum afferant.

XII. 1. Luxus, indumentorum vero præſertim, peſtis eſt, & corruptio rerum publicarum, quæ per hoc a generoſitate ſua degenerare, atque eas leges contemnere incæperunt, quæ illas florentes effecerunt. 2. Excidium eſt domorum, familiarumque propter immodicos ſumptus, qui ad luxum hunc nutriendum erogandi ſunt, 3. Fons eſt iniquitatum, ut ſuppetat, unde nutriatur, & aliorum plurimorum ſcelerum cauſa.

XIII. Quidquid de luxu dictum eſt ad tria verba redigi poteſt.

1. Argumentum eſt vanitatis; 2. modicæ religionis; 3. modicæque pietatis.

XIV. 1. Veſtium luxus non exiſtimationem, neque approbationem, ſed contemptum mortalium meretur. Ratione patent. 2. Paſſim Dei in ſe detrahit ſupplicia, uti videmus in Scripturis. Deus illum punit bonorum jactura in hac vita, graviſſimiſque pœnis in altera, quemadmodum mali divitis exemplo docemur.

Luxus efficit, ut obliviſcamur, 1. Deum homini veſtimenta dediſſe, ut illum humiliaret; quandoquidem ea ſibi in vanitatis argumentum homo convertit. 2. Efficit, ut obliviſcamur verborum Apoſtoli præcipientis, ut induamur Jeſum Chriſtum. Explicandum eſt, quid hæc ſibi velint verba, & in quo veſtium luxum illis adverſetur. XV.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

S. Cyprianus eximium edidit tractatum *de habitu Virginum*, ubi invenietur, quidquid curioſius, aptiuſque in hoc dici valeat argumento. Sancti Patres.

S. Ambroſius *lib. 1. de Virginibus* oſtendit, inſignem eſſe ſtultitiam velle mutare opus Dei faciem fuco liniendo, ac pretioſis veſtibus membra exornando.

Idem hoc ipſum tractat argumentum *lib. 6. cap. 8. Hexameron.*

Idem *lib. de Nabuthe Iſraelitica* oſtendit, crudelitatem eſſe locupletibus indui veſtimentis, cum interim pauperes fame pereunt, nec habent quomodo induantur.

Idem *In commentaria in cap. 2. prioris Epiſt. ad Timoth.* oſtendit vanitatem, & inutilitatem ornamentorum.

Idem *lib. 2. de pœnitentia* mulierum ævi ſui luxum deſcribit.

S. Gregorius Nazianzenus ad mulieres ambitioſius ſe ornantes elegantem ejuſdem rei habet hypotipoſin.

Origenes *tom. 3. hom. 4.* in hæc S. Matthæi verba; *exterminant facies ſuas*, acriter invehitur in fœminas, quæ fuco, ſtibioque utuntur, &c.

Tertullianus integrum edidit librum *de cultu mulierum*, ubi totum hoc exauſiſſe videtur argumentum; ſatis ibi illius genius, ac ſtylus deprehenditur.

Idem *lib. de velandis virginibus* plurimos habet locos ad hoc argumentum ſpectantes.

Clemens Alexandrinus paſſim, præſertim vero *lib. 3. Pædag. c. 2.* æque deſcribit ingenium & curam mulierum circa indumenta, ſuique capitis cultum.

S. Hieronymus *Epiſt. ad Furiam* vehementer invehitur in luxum, fucum, pictaſque veſtes mulierum.

Idem *Epiſt. ad Lætam* refert terribile Prætextati ſupplicium. *Et Epiſt. ad Euſtochium.*

Idem *in regula monach. ad Euſtochium* de ornamentorum vanitate verba facit.

Idem *l. 2. in cap. 3. Iſaiæ*, oſtendit Deus aliquando in noxiam hanc vanitatem animadverſum,

S. Gregorius Nazianzenus præter memoratum locum in oratione, quam habuit de laudibus Sanctæ Gorgoniæ, affert Sanctæ hujus mulieris de fœmineorum ornatuum vanitate ſententiam.

Idem *in exhortatione ad virgines* docet, quam præferenda ſit luxui indumentorum modeſtia.

S. Auguſt. *ſerm. 247. de tempore* oſtendit, veſtium luxum, in vi æque, ac mulieribus eſſe vitioſum.

Idem *Epiſt. 73. ad Poſſid.* ornamentorum vanitatem oſtendit.

Idem *l. 4. de Doctr. Chriſti* de eodem loquitur argumento.

Idem *lib. 2. de ſermon. Domini in monte* immodicam oſtendit mulierum ſeſe comendi curam.

S. Paulinus in Epiſtola ad Celantiam.

S. Chryſoſtomus *hom. 18. in Gen.ſ.* primam veſtium repetit inſtitutionem, ac ſatis prolixum habet ſermonem de luxu, & magnificentia, quam homines invexere.

Idem *homil. 37. & 41.* in eumdem Geneſeos librum oſtendit, quam indignum ſit ſuperbis veſtibus tegi.

Idem *homil. 50. in S. Matth.* oſtendit criminis hujus magnitudinem, & mala, quæ hic parit abuſus.

Idem in primam S. Pauli ad Timotheum Epiſtolam docet, quam ridiculum ut gloriari de brutorum exuviis, & bombycum opificis.

Idem *in homil. 4. in eamdem Epiſt.* oſtendit, Dei opus vitiari atque corrumpi ab iis, quæ fuco ſuam illinunt faciem.

Idem *hom. 8. in eamdem Epiſt.* invehitur contra vana hæc ornamenta, & contra impudentiam mulierum, quæ in templum veniunt, ut in minime decoro ſtatu videantur.

Idem *homil. 10. in Epiſt. ad Coloſſ. & hom. 38. in Epiſt. ad Hebr.* oſtendit nobis ſatis eſſe debere honeſtis veſtibus uti.

Idem *homil. 2. ad Popul. Antioch.* oſtendit falli mulieres, cum venuſtiores videri volunt ope ornatuum ſuorum.

Idem *homil. 3. in 2. ad Theſſal.* loquitur de mulieribus, quæ minus verecundo cultu prodeunt in templum.

Idem

Idem *homil. 60. in S. Joan.* oſtendit induſtriam; qua muliere ſeſe ornant, viris earum diſplicere, & illis modeſtiam reique domeſticæ curam eſſe gratiorem.

Idem *hom. 25. in Acta* docet, curam, qua corpora ſua illæ ornare quærunt, argumento eſſe, animam ipſarum virtutibus eſſe vacuam.

Idem *hom. 30. in Epiſt. ad Rom.* oſtendit, pudicam mulierem omnes hujuſmodi cultus negligere.

Idem *hom. 18. in Epiſt. ad Corinth.* docet, dum corpora ornantur, difficile eſſe, quod anima ſit ornata virtutibus, & *homil. 29. in Epiſt. ad Hebreos.*

Idem *hom. 17. in S. Matthæum* oſtendit, quantum ſit mulierum ſcelus ſeſe comentium, ut viros in peccatum illiciant.

S. Bernardus *Epiſt. 113. ad Sophiam virginem* oſtendit vanitatem earum, qui bombycum opificio induuntur, & mulierum ætatis ſuæ ornamenta deſcribit.

Aſcetici aliique.

S. Pacianus *in Paræneſi ad pœnitentiam* docet, magnificas veſtes, & vana ornamenta in fidelium pœnitentia eſſe relinquenda.

S. Franciſcus Saleſius *introduct. ad vitam devotam* docet, quid hac in re modeſtia, & decor permittere poſſint.

Cambolas in exemplari vitæ chriſtianæ tract. 2. c. 2. duodecim articulis agit de veſtium modeſtia.

Dandinus in Ethicis ſacris lib. 16. tractat. habet undecim capita habentem; *de cultu mulierum*.

P. Cordier *tomo 2. familia ſancta cap.* 8. agit de indumentorum regula paragraphis octo in quibus collegit, quidquid hoc in argumento deſiderari poteſt.

Dominus de Grenaille in libro, qui inſcribitur: Mulierum Bibliotheca.

Idem in tractatu de modeſtia fuſius verba facit de veſtimentis, ex quibus hæc virtus præſertim deprehenditur.

Pipet Presbyter librum edidit, cui titulus: *Inſtructions chretiennes* de luxu, & vanitate fœminarum.

Tractatus contra ornamentorum capitis luxum.

Inſtitutiones pro adoleſcentulis editæ a Marquos Doctore.

Liber, cui titulus? excerpta ex operibus plurium Sanctorum eccleſiæ Patrum: Tractatu 4. de luxu.

Libellus, qui inſcribitur: *L' abus de la nuditè des gorges, &c.* loquitur etiam de ornamentorum, recentiumque cultus rituum immodeſtia.

Liber inſcriptus: *Inſtruction pour l' education des filles* cap. 10. egregium habet ſermonem de contemptu ornamentorum, ac luxus veſtium, in chriſtianis virginibus requirendo.

Concionatores.

Matthias Faber *Domin. 2. Advent. Conc.* 8. plures adfert rationes, propter quas veſtium luxus fugiendus eſt, ac deteſtandus.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ, argumenta integrum habet hujus argumenti ſermonem. Tomo 2. ſermonum particularium.

In tomo 2. ſermonum P. la Peſſe ſermo eſt de luxu generatim, ubi multa de veſtium luxu.

In moralibus etiam ſermonibus unus eſt; atque inter ſermones manuſcriptos alter diſertiſſimus, qui Patri Ruæo acceptus refertur.

Qui collectanea edidere.

Ludovicus Granatenſis. } Titulo *Ornatus*.
Buſæus. }
Drexellius *de cultu corporis*.
Labara } Titulo *Ornatus*.
Summa prædicantium }

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

NOn induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea, abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc. Deuter. 22.

Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Pſalm. 21.

In veſtitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris. Eccli. cap. 11.

Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo. Eccli. 19.

Averte faciem tuam a muliere compta. Eccli. 9.

Fortitudo & decor indumentum ejus. Proverb. 31.

Poſui veſtimentum meum cilicium. Pſalm. 68.

Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ, ut ſimilitudo templi. Pſalm. 143.

Ecce iſte coopertus eſt auro & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus. Habacuc. 2.

Ornamentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt. Ezech. 7.

De veſtimento, quid ſolliciti eſtis. Matth. 6.

Conſiderate lilia agri . . . Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Ibidem.

Qui exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Matt. 11.

Ipſe autem Joannes habebat veſtimenta de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. Ibidem, cap. 3.

Diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes. Ibid. c. 27.

Ecce qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis, in domibus regum ſunt. Luc. 7.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpura, & byſſo. Luc. 16.

Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba. Ibid. cap. 23.

Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Ad Galat. 3.

Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. 1. ad Thimoth. 6.

Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, & auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa. 1. ad Timoth. cap. 2.

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Ad Heb. 11.

Mulieres, quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. 1. Petri, cap. 3.

Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis . . . Veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt. Jacobi 5.

Veteris, novique teſtamenti exempla.

Exemplum Primorum Patrum in Paradiſo terreſtri.

HOmo ſe nudum ſentiens in paradiſo terreſtri, & minacem audiens vocem Dei ſibi inobedientiam exprobrantis, ſeipſum, ut potuit, foliis ejus arboris, ſub qua delituerat, contexit, & mox illi Deus ex brutorum coriis conſuit indumentum. Itaque nonniſi propter neceſſitatem ſeſe induit homo; ſed mox ut ſuum eleret luxum, ſuperbiam, ac mollitiem iis uſus eſt indumentis, quibus egebat, ut ſuæ infirmitati, ac miſeriæ ſubveniret. Igitur veſtimentorum neceſſitas pœna eſt, & eorum luxus, atque magnificentia effectus peccati.

Eliæ Prophetæ ſanctitas ex ejuſdem veſtimentis cognita.

Capite primo quarti Regum libri dicitur res Ochozias Eliæ ſanctitatem cognoviſſe ex ejus indumento, quod virtute ipſius, & nominis celebritate, quam Propheta ille ſibi comparaverat, dignus erat. Etenim cum homines illi, quos princeps hic miſerat ad idolorum opem implorandam eo in mortis periculo, in quo erat, in ſanctum hunc Prophetam incidiſſent, atque ab eodem juſſi fuiſſent ad regem reverti, eique dicere, ipſum eo morbo moriturum, neque ſurrecturum e ſtrato, in quo jacebat in ſuæ prævaricationis pœnam; illico quæſivit Ochozias, quænam eſſet hujus hominis forma, quæ facies, quod genus veſtium. Cum vero reſpondiſſent, illum villoſum, & renes coriacea ſuccinctum zona fuiſſe: heu. Elias eſt proculdubio, rex addidit, non alio opus eſt ergumento. Adeo verum eſt, quod in Eccleſiaſtico cap. 19. dicit Spiritus ſanctus, ex veſtium genere hominum qualitatem cognoſci: *Amictus hominis annuntiat de eo*, & quod deinde Tertullianus ait, ex veſtibus philoſophum, hoc eſt ſapientem deprehendi: *Etſi eloquium ſileat, ipſe tamen habitus ſonat.*

Exemplum puellarum Moabitarum.

Mulieres, & virgines, quæ negant veſtium ſuarum immodeſtiam, & ornamenta, quibus ſe inſtruunt, eſſe occaſionem ſcandali hominibus, & cauſam tot malorum, cogitent ſatis eſt, quid Moabitarum filiæ in Iſraelitarum cordibus exciverint. Statim ac populus Dei in illas, quæ de induſtria ſeſe mundo muliebri adornaverant, conjecit oculos, oblitus decoris ſui, ſuæque religionis, ac propriæ ſalutis, ſtatim tanto tanto cupiditatis ardore incenſus fuit, ut ſeſe in turpiſſimæ proſtitutionis ſcelus præcipitem dederit. O funeſta adinventa, o nefarios indumentorum ritus! Cultus execrabiles, qui potuere populum ſanctiſſimum corrumpere, atque a veri Dei ad idolorum aras transferre.

Exemplum mulieris fortis.

Una ferme, eademque patrumfamilias obligatio eſt domeſticis ſuis & veſtes, & victum comparare: qua in re deeſſe non poſſunt, quin non poſtremo officiorum ſuorum deſint. Mulier fortis, de qua loquitur Salomon, hoc ſua intereſſe cognoſcens, ſumma cum laude munus iſtud explevit; nemo enim in ipſius domo erat, qui duplex non haberet veſtimentum, alterum quidem æſtivum, alterum hyemale. Plurimi hodierna die tunc tandem animum adjiciunt famulis induendis, cum verentur, ne ſua ſibi avaritia exprobretur; charitas nunquam illos ad miſericordiam flecteret, niſi vanitas ibi honorem ipſorum agi ſuaderet. Verum non deſunt, qui in alterum incidant extremum, quos vanitas cogit, non ſolum ut ipſi magnifice induantur, verum eos etiam, quibus ſtipari conſueverunt, ornatiſſimis tegant indumentis, ac ſuperbos currus, equoſque phaleratos habeant; quippe luxus, ac ambitio eorum, cum intra perſonas ipſorum nequeant contineri, ſeſe in ea omnia, quæ ad ipſos pertinent, effundunt.

Exemplum Reginæ Eſther.

Equidem ſcio, veſtium pompam a Deo nequaquam omnino prohiberi, nonnulloſque eſſe dies, cæremonias, & occaſiones, in quibus ſuſtinere licet dignitatis, & generis ſui nitorem, vel in partem accedere publicæ lætitiæ, ac propriam etiam teſtari veſtimenti genere elegantiore, vel etiam ſi lubet ornatiore, ac nitidiore. Ita Principes, Reges, Magiſtratus, & qui propius principibus aſſident, præ cæteris enitecere decet majori veſtium munditie, & ornatu, quæ locorum, temporumque omnium fuit conſuetudo; nec deſunt obligationes quædam, quibus obluctari non licet, & quæ præcipiunt, ut noſmet conformemus legibus, moribus, & voluntatibus eorum, qui in nos habent poteſtatem; ſed tunc fidelis ſemper cordis humilitatem tueri, ac reginam Eſther debet imitari. Religioſa hæc regina inter infidelis, magnificæque aulæ pompam, quin ob ſuperbos ornatus, quibus ſæpe induta prodire tenebatur, intumeſceret, intrinſecus ſemet humiliabat, atque in cordis ſui amaritudine dicebat Dei; Noſti, Domine, quo in ſtatu ſim, & utrum, cum magnificis redimita veſtibus fulgeo, ſuperba gloriæ meæ deteſter inſignia. Noſti a me tamquam rerum omnium immundiſſimam haberi inanem hunc, qui circum me nitet, fulgorem, atque ſilentii mei diebus a me prorſus contemni; atque poſtquam ad hoc ſolii faſtigium evecta fui, me ancillam tuam in uno te lætatam fuiſſe.

Exemplum Judith.

Cum generoſum Judithæ facinus magis admirandum ſit, quam imitandum, exemplum ejus mulieribus proponendum non eſt, ut ſeſe ſimiles ornent ob cauſas: ſæpe enim ſeſe magnifice ornantes, ut fortis hæc virago, vulnera infligunt, ac triumphos referunt victis æque ac victricibus funeſtos, neque enim vel Dei juſſu, vel ob patriæ, vel ob propriam ſalutem hoc faciunt. Immo e contra hoc illis quam diligentiſſime cavendum eſt, atque evitandum. Verum enim vero generoſam illam mulierem imitari poſſunt in contemptu ſæculi, quod ætatis flore, ſummaque oris elegantia prædita aſpernata eſt, in veſtium modeſtia, verecundia, ſepoſitaque vita, quam in viduitate ſua duxit, in pietate, pudore, Dei metu, ac optimo exemplo virtutum, quæ ſexum illum maxime decent, & in quibus prætulit facem, quæ res nominis celebritatem, atque mortalium omnium exiſtimationem illi conciliaverat: *Erat in omnibus famoſiſſima*, ut loquitur Scriptura, Judith. 8.

S. Jo: Baptiſtæ exemplum.

Nonne mirum eſt, hominum omnium maximum videre ita indutum, perinde ac eſſet pauperrimus, atque miſerrimus; mortalium omnium ſanctiſſimum pœnitentiæ cilicio tectum; præcurſorem Meſſiæ, & gloriæ ejuſdem præconem nullis dignitatis, & præclariſſimi miniſterii ſui inſignibus decoratum? Si ex contemptibili ejus externa facie de merito illius judicium ferendum fuiſſet, quis eum, qualis erat, exiſtimaſſet? Nil minus mirum eſt, quod ipſe Dei filius tanti viri elogium prolaturus, ubi de vitæ ejuſdem auſteritate, innocentia, zelo, totque aliis virtutibus locuturus erat, incomparabilem virum hunc ex ſolis veſtibus deſignare velle videatur, videlicet ex eo, quod unum maxime efficere poterat, ne cognoſceretur. Ad id Sancti Patres reſpondent, cum S. Joannes veniſſet Deum pauperem annuntiaturus, cumque Deus ipſe veniret docturus homines contemptum pomparum, nitoris, & magnificentiæ, talis Meſſiæ præcurſori gerendum fuiſſe indumenti genus muneri, pro quo miſſus fuerat, congruum, & accomodatum: cæterum Meſſiam, qui viciſſim præcurſoris ſui ſanctitati perhibuit teſtimonium, quo nullum glorioſius homini perhibitum fuit ſuper terram, non poſſe melius veram illius denotare magnitudinem, quam per ea, per quæ a mundi principibus, qui regnum aulis videntur, diſtinguebatur, hoc eſt per indumenti genus abjectum, atque rude, cum cætera uni tantum Deo ſint explorata.

Magdalenæ pœnitētis exemplum.

Magdalena ad pœnitentiam converſa nos docet, ſinceram cordis contritionem, ſtatim ac intrinſecus peccatorem immutavit, extrinſecus etiam in veſtibus pœnitentiæ ejuſdem argumenta præbere. Hoc in Magdalena viſum eſt, quæ, ſtatim ac peccatorum ſuorum acri dolore acta fuit, pictas, aurataſque veſtes, & exquiſita ornamenta, flagitioſæ, libidinoſæque vitæ ſuæ notas reliquit, cum non poſſet apertius oſtendere, ſe omnibus ſæculi vanitatibus, pompiſque abrenunciare, quam modeſto veſtium genere, incompto, ſine cincinnis, ornatibuſque, qui effecerant, ut tota in urbe peccatrix & haberetur, & vocaretur. Neque enim cenſuit ſe melius reparare poſſe ſcandalum, quod toti præbuerat populo, & expiare crimina, quorum per luxum, ac veſtium immodeſtiam extiterat cauſa, quam ſemet cinere adſpergens, ac induens cilicio. Ita immutatio, vel reformatio indumentorum ſemper indicium fuit vitæ vel magis chriſtianæ, vel pœnitentis, quod veteres ſolitarii facere conſueverunt, & quod hodierna quoque die in omnibus cœnobiis fieri ſolet, ubi religioſæ vitæ initium ducitur ex abdicatione veſtium, & ornamentorum, quæ oſtentabantur in mundo, qua re omnium mundi vanitatum abdicatio ſignificatur.

Exemplum Herodis Agrippæ.

Herodis Agrippæ, de quo ſermo eſt *c. 12. Act. Ap.* exemplum oſtendit, veſtium magnificentiam inſpirare poſſe ſuperbiam, atque ambitionem. Factum Joſeph hiſtoricus paulo fuſius, quam hiſtoricus Sacer ita narrat. Cum Agrippa, inquit ille, veniſſet Cæſaræam Palæſtinæ, plurium dierum ſpatio publicos celebrari juſſit ludos pro Imperatoris incolumitate eo apparatu, atque magnificentia, qua non aliam ſibi fingere poterat ſumptuoſiorem. Altero hujus celebritatis die & ipſe palam prodire voluit, atque pulpitum, vel theatrum aſcendens populum allocuturus, illic effulſit argentea in veſte mira arte contexta, & quæ Solis repercuſſa radiis ingentem emittebat nitorem. Magnifica hæc, & fulgida veſtis non eam ſolum ipſi conciliavit venerationem, quæ regiam dignitatem decebat, qua in re nemo illi obtrectare potuiſſet; verum etiam tamquam numini adorationem; populus etiam exclamavit, hanc Dei potius, quam hominis eſſe vocem, quod & procero corporis habitu, & indumentorum fulgore probabatur. Principi hæ blandæ voces, atque plauſus ſingularem attulere voluptatem, & Sacer hiſtoricus addit, illum ſtatim in arena lethali vulnere affectum fuiſſe, ac non multo poſt vermibus, in ſuperbiæ pœnam, deroſum, & exoſum animam exhalaſſe.

Quorumdam locorum applicationes.

Dei opus corrumpit, qui faciem ſuam fuco illin.

FAciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Gen. 1. Quem in locum S. Cyprianus *Ep.* 83. nuptas, innuptaſque allocutus ait mulierem, quæ Dei opus eſt, non debere faciem deformare ſuam, neque fuco, aliove quopiam colore uti. Faciamus hominem ad imaginem noſtrum, inquit Deus; homo vero poſt hæc ita audax, ut immutare velit, quod fecit Deus? Hoc eſt manum attollere in Deum, reformare velle, quod ab illo factum eſt; quidquid enim naſcitur, opus eſt Dei, & quidquid ibi mutatur, eſt opus dæmonis. Si poſtquam egregius pictor aliquam pinxit imaginem, alter tamquam peritior manum tabulæ admoveret, ut illam corrigeret; diceres profecto, hunc illi injuriam afferre, non priori non deeſſe æquiſſimam conquerendi cauſam: putas tamen te manum admovere poſſe imagini, quam finxit Deus, qui ob adeo improbam temeritatem in te animadvertat? Colores iſti, quibus uteris, opus Dei deſtruunt, & naturæ veritatem, atque ſimplicitatem corrumpunt.

Quanta, & quam ridicula ſit veſtimentorum vanitas.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos. Gen. 3. Deus ut in Geneſi ſcriptum eſt, Adæ, uxorique ejus fecit veſtes ex animantium coriis, & induit eos. Hac re docet ſimplicitatem, atque modeſtiam eſſe debere opifices veſtium reliquorum mortalium; atque ex hoc veluti exemplari normam, formamque deſumendam eſſe, ut conformes ſint legibus, & inſtitutis primi hujus artificis. Satis fuit illi primis parentibus ſuppeditare, unde tegerentur, ac ſimul in illis excitare mortis, quæ juſta erat peccati ipſorum pœna, memoriam. Et ſane cum eadem facilitate magnificas illis conſulere veſtes poſſet, pelliceas tradidit, quæ & eorum pudori, & temporum injuriæ conſulere poſſet, ut inde intelligerent, quo in ſtatu, atque ſimplicitate exilii ſui dies traducere poſſent.

Cur fecerit Deus primis parentibus tunicas pelliceas.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccl. 1. Verba hæc non melius applicari poſſunt, quam luxui indumentorum, quorum corruptio generalis eſt, & latiſſime patet. Hæc vero vanitas eſt vanitatum, hoc eſt maxima vanitatum omnium, humanæ mentis infirmitatem oſtendens, cum externæ tantum innitatur ſpeciei, nitidiſque indumentis, quæ quantumvis magnifica, tamen ſemper ſunt turpia peccati noſtri indicia, & quibus mulieres tantum affici poſſe videbantur, propter ſexus ſui imbecillitatem. Sed malum hodie ad viros uſque pervaſit, qui per hoc omnino effœminati facti ſunt. Heu! Si S. Paulus ævi ſui mulieribus tanta vi ornatus prohibet, cujus criminis ſimulandos cenſuiſſet mares, qui ita vani, ac imbecilles ſunt, ut eadem ornamenta perquirant?

Luxus, & mollities non in principum tantum domibus inveniuntur.

Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, & in deliciis, in domibus Regum ſunt, Luc. 7. Mollities, & luxus, quæ apud principes dumtaxat viros inveniri fas eſſet, ſeſe in mediocres etiam ſtatus late effuderunt; quippe per te, Domine, dicere nobis liceat, non eſſe nunc opus, ut regum ædes adeamus eos viſuri, qui magnificis induti ſunt veſtibus, & qui inter delicias verſantur. Quem nuper humili, abjectoque loco natum diſciebamus, modo indumentorum ſumptibus nitet, externa, fulgidaque ſpecie conatus populi oculos perſtringere, & originis ſuæ dedecus, atque humilitatem celare. Verum cur ſingillatim loquimur de vitio, quod adeo commune eſt, & generale? Omnes homine, ſi aliquot ſanctas animas excipiemus, ut in luxum impingunt, quin in exceſſu hoc illos vel religio, vel conditio ſua moderentur, unice bonorum ſuorum facultatem, ſuæque cupiditatis magnitudinem conſulentes.

Induimini Dominum Jeſum Chriſtum. Ad Rom. 13. Hæc Apoſtoli verba ex nonnullorum auctorum ſententia ſignificant opus eſſe, ut induamur quodammodo Jeſum Chriſtum ſicuti veſtem induimur; & non ſatis eſſe intrinſecus ſpiritu illius animari, niſi exterioris corporis habitu ad modeſtiam, & verecundiam compoſito illum profiteamur; ita ut ex illius ſchola deprehendamur, qui illius gerimus inſignia, modeſtiam videlicet, pudorem, totamque externam ſpeciem, quæ *habitus* nuncupatur. Hinc Tertullianus ait, Chriſtianum olim ex hujuſmodi notis in Idolatrarum turba cognoſci conſueviſſe, ac veſtem illius teſtimonium perhibuiſſe, cujuſnam eſſe religionis. Quapropter S. Cyprianus ait, mulierem, aut virginem mundano ritu exornatam indui non poſſe Jeſum Chriſtum, ſine quo nemo ingredietur in gloriam, & addit, propter exteriorum ornatuum pulchritudinem, & decorem ſæpe interiorem animæ cultum perire. Hinc facile inferri poteſt eum, qui extrinſecus indutus non eſt Jeſum Chriſtum, neque intrinſecus eumdem habere, ac ſimilem eſſe ſervo, qui hero ſuo famulatus herilia inſignia, coloreſque geſtare dedignaretur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Verus ornatus Chriſtianorum, mores boni ſunt. Aug. Epiſt. 73.

Habitus impudicus corporis, nuncius eſt adulterini cordis. Idem, Serm. 247. de Tempore.

Plerumque ubi corpus ſi nitet, ſquallet animus. Idem, in Pſalm. 44.

Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Idem, Epiſt. 109.

Ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia, veſtes pretioſæ. Hieron. Epiſt. ad Furiam.

Ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis, conatur pulchrior eſſe quam nata. Idem, l. adverſus Helvid.

Tenera res eſt in fœminis fama pudicitiæ. Idem, Ep. ad Salvin. de ſervanda viduitate.

Ornatus & ſordes pari modo fugienda ſunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Idem, Epiſt. ad Nepotianum.

Munditia corporis atque veſtitus, animæ eſt immunditia. Dictum S. Paulæ. Idem, Ep. 27. ad Euſtochium.

Si vir vel mulier ſe ornaverit, & vultus hominum ad ſe provocaverit, etſi nullum inde ſequatur damnum, judicium tamen patietur, quia venenum attulit; ſi fuiſſet, qui biberet. Idem, Epiſt. ad Nepotianum.

Spernat bombicum tales, veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur. Idem, Epiſt. ad Lætam.

Neglecta decoris cura plus placet, & hoc ipſum, quod nos non ornamus, ornatus eſt. Ambr. l. de Virginibus.

Mulier ornata, eſt domus omnium dæmonum informalium. Idem, ibid.

Quod pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur, unde nemo velit pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri. Greg. Hom. ult. in Ev.

Nemo veſtimenta pretioſa niſi ad inanem gloriam quærit, ut honorabilior cæteris videatur. Idem, Homil. 40. in Evang.

Sordidæ veſtes candidæ mentis indicia ſint, vilis tunica contemptum ſæculi probet, ita dumtaxat ne animus tumeat, & habitus ſermoque diſſentiant. Hieron. ad Ruſtic. Monach.

Eximiæ & ſplendidæ veſtes iis demum conveniunt, quibus nullus vitæ ſplendor, nullum virtutis decus ſuppeteret. Greg. Nazienz. in parænesi ad Olymp.

Quidquid in virorum gratiam commiſceris, corporis libidinem prodit. Idem.

Hæc artificia (nempe mulierum ornamenta) non pudicitiæ, ſunt ſed laſciviæ ac libidinis. Idem.

Qui amictu pretioſo venuſtant corpora ſua, ut placeant hominibus, Deo placere non poſſunt. Athanaſius, lib. de Virginit.

Illicum diaboli (ita S. Antonius mulieres comptas appellabat.) Ut habetur in ejus vita.

Non illa ornamenta, ſed crimina ſunt; lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Ambr. l. 3. de Virginibus.

Fugiant caſtæ virgines, & mulieres pudicæ inceſtarum cultus habitus impudicarum. Cypr. de habitum Virginum.

Quid ex talibus expectandum, qui comas aut veſtes ſuperyacuas curant, niſi ut laſcivius ille ornatus fœminas prætereuntes inviſet. Idem.

Quis non id execretur & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat, & ſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Idem.

Arguit te cultus impudicus, quod mente caſta non ſic. Id.

Sollicitudo de pulchritudine, malæ mentis indicium, & deformitatis animæ ſignum. Idem, de bono Pudicit.

Non eſt pudica, quæ affectat animum alterius movere, etiam ſalva corporis caſtitate. Idem, ibidem.

Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta divini operis, prævaricatio veritatis. Idem, de habitu Virg.

Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi hominibus per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus, Tertull. l. de cultu mulier. c. 2.

Totam iis (iis nempe ornamentis) circumferunt mulleritatem. Idem.

Quod naſcitur, opus Dei eſt, ergo quod fingitur, diaboli negotium eſt. Idem, de cultu mulier. c. 5.

Projiciamus ornamenta terrena, ſi cæleſtia optamus. Idem, cap. 13.

Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt, eſſe caſtum: verum & videri; tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut emanet ab animo in habitum. Idem, ibidem.

Veſtite vos ſericos probitatis, purpura pudicitiæ: taliter pigmentatis Deum habitis amatorem. Idem.

Propter mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat. Idem, cap. 11.

Apud barbaros, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulo habent: & divitiis malos onorant. Idem.

Grande pallii beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcunt. Idem, de pallio, c. 6.

Tegendo homini neceſſitas præceſſit, de hinc ornando ambitio ſucceſſit. Tertull. de pallio.

Veſtium cultus aut ambitionem, aut proſtitutionem ſapit. Idem, de habitu mulier.

Quæ rerum ſæcularium curam habet, neque virgo, neque honeſta eſt. Chryſ. Hom. 19. in 2. ad Corinth.

Difficile eſt, fortaſſe etiam impoſſibile, corpore in hunc modum ornato, ſimul ornari animam. Idem, Hom. 18. in eandem Epiſt.

In alienis animabus luditis, & ex alienis animabus voluptatem propriam conſtitutis. Idem, Serm. regulares fœminæ viris cohabitent.

Eo inſaniæ homines pervenere, ut aurum veſtibus intexant, imprimis autem mulieres huic mollitiei deditæ ſunt. Idem, Hom. 18. in Geneſim.

Audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & veſtiuntur ſeircis, diſcant quomodo ab initio humanam naturam miſericors Dominus docuerit. Idem, Hom. 18. in Geneſ.

Non cogitas, quod pro magno ſupplicio propter traſgreſſionem tegmen eſt excogitatum. Idem, ibidem.

A corporis cultu innumera fiunt mala, arrogantia quæ intus naſcitur, deſpectus proximi, faſtus ſpiritus, animæ corruptio voluptatum illicitarum comes. Idem, Hom. 41. in Gen.

Acceſſiſti ad templum, ut Deum pro peccatis tuis depreceris, ut cum gemitu & lachrymis veniam petas; quid teipſam ornare improbo & intempeſtivo ſtudio contendis? Idem, in cap. 2. 1. ad Tim.

Vis ornare faciem? non margaritis orna, ſed modeſtia & honeſtate. Idem, Hom. 21. ad Popul. Antioch.

Quam excuſationem habebis, quando te Dominus accuſabit de margaritis iſtis, & pauperes fame præditos in medium aget? Idem, Hom. 21. ad Popul.

Modeſtia ornatus omnem improbam ſuſpicionem expellit; omni autem vinculo firmius conjugium conciliat. Idem, ibid.

Etſi prava hæc peccata videantur, ac ideo negligantur majorum tamen delictorum cauſas nobis præbent. Idem, Hom. 50. in Matth.

Veſtium curioſitas deformitatis mentium ac morum inditium eſt. Bernard. lib. 3. de Conſider.

Mollia indumenta animi indicant mollitiem; non enim tanto ſtudio curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens virtutibus exculta. Idem, in Apolog. ad Guill. Abbat.

Exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt, Idem, ibidem.

Nullum majus ſcandalum occurrit, quam ille ipſe virorum ac mulierum occuratior cultus. Tertull. lib. de ſpect. cap. 25. & de cult. mul. cap. 2.

Serica, & purpura, & tincturarum fucus decorem habent, ſed non præbent. Bernard. Epiſt. 112. ad Sophiam Virgin.

Incentiva vitiorum. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hoc in argumento poſſit hauriri.

Quid luxus & veſtium immodeſtia, & in quo utrumque conſiſtat.

INutile hic eſſe reor, luxus, & immodeſtiæ veſtium definitionem afferre, & in quo utrumque conſiſtat, ſtatuere, hoc enim ſatis, ſuperque liquet, & a nemine ignoratur. Dicere ſatis eſt, in hoc pluribus modis peccari poſſe; 1. in veſtium materia, cum nimis rara eſt, nimiique pretii; ita ut ſtatum, & conditionem noſtram minime deceat; 2. in forma earumdem, ac ornatibuss ſuperfluis, qui ingentes ſumptus requirunt; 3. in earum multitudine, cum pro variis anni temporibus variæ mutatoriæ veſtes habentur, quibus & in urbe, & ruri, & in variis cœtibus, ac locis, quo tibi prodeundum, utaris, quod proprie luxus appellatur. Verum cum ad hæc recentes indumentorum ſectaris ritus inventos potius, at non ſine ingenti ſcandali nuditates, quæquam pateant, quam ut membra tegantur, atque externentur, hæc veſtium immodeſtia vocatur.

Ornatus per ſe indifferentes virtuti ſimul, & vitio poſſunt inſervire.

S. Thom. 2. 2. *q.* 169. docet generatim loquendo virtutem æque, ac vitium inveniri poſſe in externis ornatibus, ac indumentorum ritibus. Virtus eſt, ait ille ex S. Ambroſio, cujus adfert auctoritatem, quia ibi quædam honeſtas, & urbanitas eſt in veſtibus, earumque ornamentis requiſita, quæ ſimplex eſſe debet, naturalis; & minime adfectata; & honeſtas hæc pertinet ad virtutem, vel ipſa potius eſt virtus, Cæterum hæc ornamenta, quæ per ſe nullo ſunt in diſcrimine, vitioſa fieri poſſunt per uſum eorum, cum nimis perdite conquiruntur, cum nimis excedunt, cum neque ſtatui noſtro, neque conditioni, neque locorum conſuetudini ſunt conformia, vel cum nimia, & adfectata ſollicitudine ambiuntur. Hic autem exceſſus ex immoderata ambitione, aut vana oſtentatione procedit, cum aliquis honorem, atque exiſtimationem ſibi conciliare contendit nitore pretioſarum veſtium; vel ex libidine, cum per has molles delicias in iis, quæ neceſſitati dumtaxat inſervire debet, voluptas perquiritur; ac tandem, cum in ſeſe ornando nimium curæ, temporiſque tranſmittitur. Peccati quoque poteſt, licet hoc accidat infrequentius, per defectum, quemadmodum per exceſſum peccatur: videlicet cum nimia adhibetur in veſtibus negligentia, cumque alia inanis gloriæ ſpecie abjectæ, ſordidæque veſtes adfectantur, quod olim Cynici facere conſueverant, quibus exprobrabatur, quod per eorum ſcruta, centoneſque ipſorum ſuperbia internitеſceret.

Quando mulierum ornatus culpa vacant, vel ſecus.

Quoad muliebres ornatus, de quibus hic potiſſimum quæſtio eſt, conſiderari poſſunt, quatenus referuntur vel ad urbanitatem conſuetudine comprobatam, vel ad conſilium, quo ſeſe hoc pacto ornant, & comunt. Conſtat profecto, quod ſeſe ornare, ut cæteræ ſolent, & prout ſingularum ſtatum, & conditionem decet, nulli obnoxium eſſe poteſt cenſuræ, dummodo exceſſus abſit, quem invexit licentia, & qui ipſam lædit urbanitatem. Verum certiſſimum quoque eſt, ornatus, qui pravo conſilio induuntur, nefarios eſſe, ac ejuſdem naturæ, cujus peccatum illud, quod menti obverſatur, ſeu vanitatis illud ſit, ſeu impudicitiæ. Fucus, quo ad pingendam faciem utuntur, ſi hic res ſubſtiterit, peccatum eſt vanitatis, ſed grave ex SS. Cypriani, atque Chryſoſtomi ſententia; hæc enim eſt naturæ ipſius deformatio ad corrigendum opus Dei, qui arguitur, quaſi illud ex ſuo, non autem noſtro arbitrio efformaverit; niſi tamen hoc fieret ad celandum vitium aliquod naturale, quod avertere poſſet eos, quibuſcum vivimus, agimuſque; tunc enim peccati nomine damnari non poſſet.

Nullus eſt Theologus, qui non fateatur, grave, ac mortiferum peccati genus eſſe corpus ſuum exornare animo capiendi oculos, & corrumpendi cor eorum, qui nos hoc in ſtatu intuentur; hoc enim eſt illis inſidias ſtruere, eiſque occaſionem præbere ſcandali, & lapſus in crimen impudicitiæ. Præterquamquod, licet etiam non eſſemus animo ita pravo, hoc ſaltem

eſt perniciofum præbere exemplum illis, qui ejuſdem ſunt ordinis, & conditionis, ut & ipſi ſimiles faciant ſumptus, quin æs alienum diſſolvant, vel eleemoſynas erogent, uti tenentur, cum habent ea, quæ in ſuperfluis ornamentis inſumant.

In ſolo magnificarum veſtium amore culpa non deeſt.

Præterea ſolus amor, quo veſtes nimium magnificas, habita ſtatus, & conditionis noſtræ ratione, deperimus, ex D. Gregorio peccatum eſt, quod nobis æternam parere poteſt perniciem: etenim, ut magnus hic Pontifex inquit, ſi ibi peccatum non eſſet, Salvator nequaquam illum retuliſſet veluti unam ex cauſis, propter quas malus dives damnatus fuit, quod videlicet induebatur purpura, & byſſo; neque celebraſſet S. Joannem, eo quod ſimplici, rudique ritu induceretur, Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. nequaquam interdixiſſet mulieribus aureorum ornamentorum, unionum, & magnificarum veſtium uſum; neque omnibus ſæculis SS. Patres declamaſſent contra luxum indumentorum, cultuſque ſuperfluos, ſi eorumdem amor crimine caruiſſet.

Cuinam rei innitatur obligatio fugiendi luxũ indumentorũ

Si ſcire cupis, cuinam rei innitatur prohibitio luxus, & ornatuum nimis pretioſorum, & exquiſitorum, quibus utuntur mundani, ajo, præceptum ex ipſa deſumi chriſtianæ religionis eſſentia, quæ in hoc poſita eſt, ut eorum præſtes fidem, quæ in baptiſmo pollicitus es, ideoque pompis, ac vanitatibus ſæculi abrenunties. Sancti Patres hoc votum eſſe dicunt, & S. Hieronymus illud maximum, quæ unquam fieri poſſint, votorum appellat. Itaque cum in baptiſmo chriſtianam religionem ſumus amplexi, ſolemniter abdicavimus veſtium luxum, qui potiorem conſtituit pompæ, fulgoris, vanitatis, & ut S. Paulus ait, nitentis figuræ hujus mundi partem, qui præſtigiator eſt, & fallax, atque infeſtiſſimus dogmatum Salvatoris inimicus. Promiſimus, nos filii Dei crucem perlaturos eſſe, & ſecundum evangelicas leges, atque inſtituta mores eſſe conformaturos: igitur, cum veſtium luxus, curioſa ornamenta, magnificuſque cultus omnino chriſtianæ humilitati, paupertati ſpiritus, mortificationi, atque terrenarum rerum abdicationi, quæ totidem Præcepta ſunt, ſint prorſus oppoſita, quærere ubinam Deus luxum prohibuerit, nonne idem eſt ac quærere, utrum Chriſtiani ſimus, & quibuſnam rebus in baptiſmo abrenuntiaverimus?

Mulieres quæ, ſeſe curioſius, & cum adfectatione comunt at plurimũ finibus parum innocuis agũtur.

Ex mulieribus, quæ tam ſedula cura, & faſtu ſe ipſas comunt, libenter quærerem, utrum innocuos ſemper fines, ac intentiones ſatis puras habeant? Affirmare id ab illis fieri, ut placeant Deo, blaſphemia eſt, aſſerere, oblectari Deum hujuſmodi vanitatibus, quæ illius excitant indignationem, ut ipſe per Prophetam ſuum inquit, idem eſt illudere Deo. Ut hominibus ergo placeant, ſe ipſas comunt; & hoc ſcelus eſt, propter quod minatur Deus ſe æterna confuſione puniturum eas, quæ hac in re peccaverint, quia in hujuſmodi occaſionibus placere non poſſunt, quin ad peccandum alliciant eos, quibus placent. Sin autem reſpondeant, hoc a ſe fieri, ut ſibi placeant, atque ut ipſæ inde oblectationem percipiant; hæc ipſa oblectatio non recedit a natura illius, quæ lapſus principis Angelorum fuit cauſa, qui cum immoratus fuiſſet cogitans pretioſa gratiæ, atque naturæ ornamenta, quibus præditus erat, in illis placuit ſibi, in hac cogitatione quievit, ideoque de cœlo, ac paradiſo dejectus fuit, illuc non ultra reverſurus. Sed diſcrimen attende; Deus enim Angelo ſuperbo hæc ornamenta largitus fuerat; mulieres vero ſua invito Deo ſibi concinnant. Cum belle corpus exornarunt ſuum, ſecreta cum voluptate ſibi blandiuntur; ſibimet ipſis ſexcentis complacent modis, ſe ita venuſtas, formoſaſque nactæ ſe magis amant, & hunc ſui amorem Dei amori anteponunt. Sed ratio hæc intentionem in ſolo ſui jucundo aſpectu circumſcribendi ſæpius inanis eſt excuſatio, & contradictio manifeſta. quippe cum ſolæ ſunt, arbitriſque remotis hæc abjiciunt ornamenta, tunc ſolum reſumenda, cum palam, & in cœtus proditurae ſunt.

De fine propter quem veſtes inſtitutæ ſunt.

Unumquodque ex fine ſuo regendum eſt; illinc norma agendi deſumenda eſt, quia illinc præcipua deſumitur utilitas; quamobrem media non aliam habent bonitatem præter eam, quam a fine ſuo accipiunt: hoc eſt quatenus ad hunc referuntur, & apta ſunt, ut ad eumdem perveniant. Quæ autem res hominem agere potuit, ut veſtibus uteretur, niſi ſola neceſſitas? Etenim cum omnem oderit vim, ac ſervitutem, minus, quam fieri poteſt, ſeſe ſubjicit illi; neque unquam adeo duram, gravemque ſibi legem injeciſſet, niſi illum neceſſitas, quæ lex eſt inevitabilis, coegiſſet. Hæc immo duplex neceſſitas fuit; altera quidem ut ſuæ valetudini, vitæque conſuleret, arcens hoc pacto aeris injurias, atque temporum rigorem; altera vero ut urbanitati

confuleret, ſuis, aliorumque oculis tegens corporis nuditatem, cujus ut nos puderet, peccatum fuit cauſa. Hinc ſequitur veſtes utiles non eſſe, niſi quatenus conformes ſunt duobus hiſce finibus, qui illa, ut ita dicam, inſtituerunt. Verum nonne liquet, luxum utrique ſuperfluum eſſe, & magnifica indumenta non ſolum neceſſaria non eſſe, verum etiam, fini, atque inſtitutioni veſtium adverſari? Hic igitur noxius eſt ſuperbiæ, & vanitatis abuſus; atque tot veſtium ritus, & ornamenta veſtibus ipſis ſuperaddita, ut plurimum, decorem ipſum lædunt, atque modeſtiam.

Veſtium inſtitutio ex peccato profecta.

De fide eſt, primam veſtium inſtitutionem ex primorum patrum peccato profectam eſſe, qui cum ſeſe hoc inquinaſſent Dei mandata perfringentes, pudore ſuffuſi propter inordinatam, quam in corporibus ſuis experiebantur, affectionem ſibi folia ficus conſuerunt & Deus, qui eorum infelicitatis, ac ſtatus miſertus eſt, in quem ſua illos inobedientia perduxerat, pelliceas illis veſtes concinnavit, Veſtes itaque nota ſunt ac teſtimonium peccati, ſimulque lapſus, quo homo dejectus fuit de gradu, qui in innocentiæ ſtatu nullis egebat operimentis, Et in ſtatu, in quo creatus fuit homo, nobilis erat; in ſtatu peccati; in quo naſcimur, veſtes ſigna ſunt noſtræ paupertatis, vel potius ſervitutis: unde ſequitur, non ferendam eſſe ſuperbiam ex veſtibus ipſis gloriam aucupari, quæ licet nitidæ, ac magnificæ, ſunt tamen noſtræ infirmitatis indicia, & cauſæ pudoris.

Vana ornamenta puritati oppoſita.

Virtus, quæ corpus noſtrum honore aliquo dignum efficiat, pudicitia eſt; ſed mundanitas illud hoc exuit bono, & vana ornamenta ipſum reddunt infame, quippe ipſum in incontinentiæ ſuſpicionem accerſunt: quamobrem Tertullianus ait, caſtitatem, ut perfectam habeat pulchritudinem, non quærere ornatus; ipſamque eamdem eſſe pulchritudinem, quæ nunquam Deo placeat magis; quam cum vitioſis hominibus diſplicet.

Chriſtiana veritas eſt, ac ſenſus ſtatui, & conditioni, in qua in hac vita ſumus, conformis, noſmet ipſos a nobis habendos eſſe veluti reos, quibus, ſimul ac vitam accepimus, prolata fuit mortis ſententia, & quibus in ſingula momenta ſententiæ hujus executio expectanda eſt. Reum autem morte damnatum quis ornat? hoc tamen quotidie pleræque mulieres, ac virgines faciunt: quippe ornant corpus morte damnatum, quia corpus eſt peccati, ut loquitur S. Paulus. Illud palpant, lucupletiſſimis ornatibus inſtruunt, & interim illud ipſum mortificare, atque, ut cum eodem Apoſtolos ad Galat. 5. loquar, crucifigere tenentur: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitii. & concupiſcentiis.*

Feſtorum dierum prætextus luxû, veſtiumque pompam non probat.

Non deſunt, quæ luxui, vanitatiſque ſuæ prætexunt eam, quam habent, cupiditatem dies feſtos colendi, atque hoc pacto aliquid eorum celebritati conferendi. Licet profecto diebus hiſce nitidius indui, & ut cum Scriptura loquar, feſtivitatum, ac lætitiæ veſtes aſſumere; verum ſemper non ſine ea modeſtia, & decore, quem ſtatus, & conditio ſingularum requirit. Etenim non ſacrificium, cui intereſſe tenentur, non Dei verbum, non divinum officium, quæ præcipuæ ſunt horum dierum cæremoniæ, vanum hunc exigunt apparatum, qui potius turbare poteſt feſtivitatem, & ſanctam requiem, propter quam dies illi inſtituti ſunt. Hoc quippe idem eſt, ac in ſanctis locis exponere idola, quæ in ſe oculos adſtantium convertant, eoſque avertant ab aris, & prohibeant, ne verbo Dei, ſacriſque myſteriis ea, quæ opus eſt, adhibeatur attentio. Ita ara contra aram ſtatuitur, ut ibi animæ dæmoni immolentur, inanibus ornamentis, & exquiſitis veſtium elegantiis, quæ, ut S. Cyprianus inquit, ſunt totidem gladii mortis vulnus inferentes animabus, quæ in ſanctos hoſce locos ad vitam gratiæ percipiendam venere.

Regulæ in veſtibus adhibendæ.

Potiſſima, quæ hac in re tradi poſſit, regula ex ſtatu ſingulorum deſumenda primum eſt. Cum enim profeſſio noſtra ab electione cujuſque pendeat, nemo jure conqueri poteſt? quaſi cogatur vitam inſtituere ſecundum eam convitionem, cui ex propria adhæſit voluntate. Hinc potiſſimum modus petendus eſt, & non ſecus; ac corporis magnitudo regula eſt magnitudinis indumentorum, ita ſtatus, conditio; & gradus ſingulorum norma eſſe debet pretii, & qualitatis eorumdem. Hoc ita inſtituere humana debuit politia: ſicuti enim ſocietas, quæ vitæ civili eſt neceſſaria, exigebat, ut variæ eſſent artes, variique mortalium ſtatus, ut neceſſitatibus, quæ illic occurrunt, ſatisfieret, jure eos cogere potuit, at quiſque profeſſionis ſuæ geſtarent inſignia. Hoc autem ſapientiſſime inſtitutum eſt; quippe in hac ſocietate omnino neceſſarium eſt, ut ſinguli intelligant, quicum res ſibi ſit: cumque cognitio hæc hauriri non poſſit ex facie, neque ex aliis corporis noſtri lineamentis, ex veſtibus deſumenda fuit, quod primum eſt, quod oculis accidat, objectum. Quod vero magis nos de regulæ hujus æquitate perſuadet, ea eſt perturbatio, quæ hodierna die in mundo gliſcit, ex quo lex, vel regula iſta perperam obſervatur. Attamen non hoc unum illud eſt, cujus ratio habenda ſit diligenter: etenim in quolibet ſtatu, ac profeſſione conſideranda quoque eſt ætas perſonarum; ornamenta quippe, quæ decent adoleſcentiam, provectiorem dedecent ætatem. Præterquamquod hac in re non modicam ſibi partem vendicat conſuetudo; nam veſtis, quæ olim in more erat poſita, nunc temporis obſoluta eſt, Sequi igitur licet, quod fieri conſuevit; verum ſemper intra ſtatus ſui, ſuæque conditionis modeſtiam.

Qualitas, vel conditio perſonarum prætexere nõ poteſt luxû, vel immodeſtiam.

Quod attinet ad veſtium, ornatuumque pretium, fatentur omnes, hos accommodari poſſe opibus, generi, & conditioni ſingulorum: ſed etiam æque certum eſt, nullam eſſe conditionem, genus, opes, quæ luxum permittant, hoc eſt ſuperfluam profuſionem, quæ minimum confert, ut deprehendatur conditio noſtræ, quæ magis nitebit ex modeſtia, ſapientique agendi ratione, quæ hac in re ſervabitur. Multo igitur minus qualitas iſta, vel conditio facultatem præbere poteſt, vel jus immodeſto veſtium genere utendi, eaque parum honeſta ratione, quæ pudorem, & chriſtianam lædat modeſtia. E contra vero cum qualitas, & conditio eos, qui aliqua nitent auctoritate, jubeat facem præferre, & præbere exemplum aliis; qui eorum facta, moreſque ſequuntur, jubet quoque abſtinere, ne veſtibus parum modeſtis, nimiſque magnificis luxum, & immodeſtiam invehere videantur,

Puritatis cura in mulieribus, & puellis externum cultum regere debet.

Hoc etiam certiſſimum axioma eſt, externum corporis cultum in fœminis, virginibuſque curæ, & amore puritatis eſſe regendum; neque enim decipiamini putantes caſtitatem in ſola corporis integritate conſiſtere, ejuſque obligationem, quæ omnibus hominibus pro ſtatus ſui conditione inevitabilis eſt, nequaquam uſque ad exterioris indumenti regulam extendi. Quicumque amabilem hanc diligit virtutem, bonum etiam illius odorem habet in pretio, nihilque vel in ſe, vel in aliis pati poteſt, quod vel leviſſimam illi nebulam valeat offundere; ideoque vitium illi oppoſitum odit, & ne minima quidem illius ferre poteſt indicia, qualia proculdubio ſunt veſtium immodeſtia, & hi recentes indumentorum ritus, qui honeſtati, atque verecundiæ officiunt; verbo, quidquid vel minimæ locum præbere poteſt ſuſpicioni. S. Cyprianus de chriſtianis virginibus ait, cum illæ ſint membra Filii Dei, ut S. Paulus Apoſtolus inquit, cumque ſimul omnes corpus J. C, componant, J. C. more, non autem mundi, qui illius eſt infeſtiſſimus hoſtis, eſſe induendas. Chriſtianæ virgines ſunt etiam templum Spiritus Sancti; ideoque parentibus, qui cuſtodes earum ſunt, cavendum eſt quam diligentiſſime, ne earum ſanctitatem corrumpant, ne illis inhabitans Deus loco cedere teneatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribus concionatoribus loci hujus argumenti.

Veſtium luxus non extrema eſt ſæculi vanitas.

NE quid dicam de criminibus aliis, quibus improbitas luxum, veſtiumque magnificentiam inſervire facit, citra hyperbolem, & quin veritati aliquid ſuperadſtruatur, dicere poſſumus, ſeſe ornandi curam vaniſſimam eſſe omnium occupationum, quæ cumquam extiterint. Quænam indumentorum, ornatuumque præſertim vero in mulieribus ſuperflua cura! Tanta eſt eorum multitudo, atque varietas, ut veteres ad illam innuendam aptius vocabulum invenire non potuerint, quam *mundum* vocantes; ſeu quod omnium elementorum exuviæ adhibentur, ſeu quidquid perrarum, ac pretioſiſſimum omnibus in terris invenitur, ad earum exornandas veſtes impenditur. Quomodocumque ſit, conſtat univerſum hunc apparatum a vanitate excogitatum fuiſſe, atque tot minutis operibus meliorem artificum partem exerceri, qui nonniſi ad luxum, & vanitatem alendam operantur. Tandem enim opera denticulata, vittæ, amenta, abyſſinæ, ſericæque veſtes, laciniæ, ac indumentorum ritus, qui recenter quotidie ſubinferunt, & qui ad aciem oculorum oblectandam, luxumque alendum excogitantur, plures exercent manus, & brachia, quam res illæ, quæ humano victui magis utiles ſunt, & neceſſariæ; ideoque dici poteſt hæc maxime omnium manifeſta vanitas eſſe, quam paſſim ubique populi, & nationes omnes excipiunt, & exprobrant: nam quæcumque leges rogatæ fuerint ad illius curſum inhibendum, hominum hac in re obſtinata voluntas efficiet, ut ſemper dominetur.

Veſtium ſumptus mera vanitas eſt.

Nihil magis inane eſt, quam de re illa gloriari, quæ noſtra non eſt. Videri velle divitem ſub aliena, mutuataque veſte, & modicum illud naturalis formæ, quod habemus, commendare velle fuco, & arte, vel aliquot lapillorum beneficio, quæ ſummo pretio comparantur. Nihil nobis honorificum eſſe poteſt, niſi quod pendet a nobis, atque ipſi opifices eſſe debemus ejus exiſtimationis, quam acquirere volumus. Quo magis alienis indiges rebus, ut te exornes, eo magis tuam oſtendis paupertatem: ille enim ditior eſt, qui minus eget. Nemo enim toto ornatuum ſupellectilem jactare poteſt, quin ſuam oſtendat egeſtatem. Verum enim vero ratio illa philoſophum ſapit; atque hæc Senecæ argumentatio parum apta eſt, quæ adeo generali malo medeatur. Attamen ſi homo rationi aurem adhibere vellet, fateretur hanc fatuam eſſe, putidamque vanitatem, exiſtimationem ſibi conciliare velle exteriori hoc cultu, qui vel pauperis artificis opus eſt, vel captivi alicujus animantis exuviæ, vel terræ fructus, qui ars nitorem adjecit. Forma quippe veſtis, quæ induitur, & phrygium opus, quo pannus ipſe exornatur, non alius eſt, quam opus hominis, cui aliquando oſſa deeſt ad vivendum. Aurum iſtud, quod nitet, nihil eſt, quam parum terræ ſolaribus radiis excoctæ, atque igni depuratæ: uniones non aliud ſunt, quam fluens concharum ſaliva: ſericum non aliud, quam bombicum ſpuma, & excrementum: molliſſima vellera, non aliud, quam ovium exuviæ, & laciniæ, & opera denticulata, non aliud, quam egenorum labor, quos fames ſæpe coegit, ut nonniſi in ſervitute vitam ducere poſſent. Hæc omnia coemuntur, & nihil horum ex noſtro penu eſt. Mera igitur vanitas eſt, & putida oſtentatio ex judicio ejus, cui vel modicus rationis, ac ſanæ mentis ſit uſus. *Idem.*

Veſtes nobis erubeſcendi potius, quam ſuperbiendi cauſa eſſe debent.

Ut magis chriſtiane loquamur, nonne vanitas eſt non ferenda, in honore eſſe velle propter id, quod ruborem nobis deberet offundere, atque ſuperbiæ cauſam ex noſtræ ignominiæ nota deſumere? Ut de vero honore æquum judicium feramus, origo illius inquirenda eſt, ac videndum, qui illum pepererit. Quænam autem eſt cauſa magnifici hujus veſtium apparatus, quem poſt ſe vanitas trahit? Non alia ſane præter primi hominis peccatum; veſtium neceſſitas eſt prima veluti inobedientiæ, atque rebellionis ejus pœna. Donec in innocentia ſua perſtitit Adam, nullum fuit veſtibus opus, & hoc infame eſt noſtræ prævaricationis indicium. Hoc ferre tenemur, ut univerſæ naturæ teſtemur nos eſſe poſteros infelicis illius viri, qui propter infidelitatem ſuam de terreſtri paradiſo ejectus fuit. Quomodo ergo citra noxiam vanitatem fieri poteſt, ut infamiæ noſtræ characteribus utamur ad hoc, ut habeamur in pretio, & honeſti viri habeamur? *Idem.*

Sæpe ſe contemptibilem facit, qui veſtium pompa niteſcere quærit.

Aliquidne magis vanum, & ridiculum eſt, quam inſignes erogare ſumptus in veſtes, ac ſemet ſubjicere varietati rituum ſemper recentium, atque mobilium, ut nobis contemptum conflemus apud eos, qui virtute ſunt præditi, & ſanæ mentis habentur? Nonne hoc juſta eſt inſanæ vanitatis eorum pœna, videre in hac veſtium magnificentia, illum minoris fieri, qui iiſdem ornatur; atque veſtes quidem commendari, eum vero, qui illis induitur contemni? Si homines illi audire poſſent, quid de ſe dicatur, ſi digito ſe oſtentari cognoſcerent, ſi ludibrium, in quod ipſorum vertitur magnificentia, & judicia, quæ fiunt, & quæ plerumque validis innituntur rationibus, ſcirent: ſi exploratæ illis eſſent improbæ animadverſiones, quæ in ipſorum genus, mores, vitamque inſtituuntur, ferrent poſſent cenſuras, contemptus, irriſiones, probra, & parum æqua judicia, quibus juſtiſſimam præbent occaſionem? Hunc illi fructum, hanc mercedem percipiunt ex totis laboribus, ac motibus, quibus ſe ipſos torquent: hoc illud thus eſt, quod hiſce vanitatis idolis adoletur: hic honor ille, quem ſibi conciliant tot mulieres, ac puellæ, quæ ſibi perſuadent veluti numina quædam coli, ſtatim ac auro, lapilliſque pretioſis ornatæ ſunt. *Idem.*

Libenter equidem ex his perſonis, quæ tanta cura, ac tot ſumptibus ſe ipſas exornare ſatagunt, percontarer, cuinam placere ſtudeant inani hoc apparatu, & cujuſnam exiſtimationem, & approbationem perquirant? Numquid ſtultorum hominum, ac ſana mente carentium, an ſapientium, & cordatorum? Si primum, curæ earum non omnino inutiles ſunt, qui eidem addicti ſunt vanitati, eas admirabuntur, eaſque fortaſſe imitari contendent. Sed ſanæ mentis homines, qui eam, quam de ſingulis habent, exiſtimationem ab uniuſcujuſque ſpiritu, virtute, prudentia, factiſque metiuntur, quid judicare poſſunt de hiſce mundanis mulieribus, quarum mens tota corporis cultui occupata, nugis tantummodo, ornatibus, recentibuſque veſtium ritibus intenta eſt? Homines, inquam, ſanæ mentis, quin temere judicent, aliudne cogitare poſſunt, niſi quod hæc magnifica operimenta, hi exquiſiti ornatus ſigna ſint vanæ mentis, animæ mundanæ, exilis ingenii, quod ſeriis, & alicujus momenti rebus eſt impar. Profecto neſcio, utrum hic ſubſiſtent videntes, quod omnes Sancti Patres inde infeliciſſimum hauriunt omen, & longe iniquiorem ſuſpicionem de earum vitæ ratione, integritate, innocentia, exiſtimatione. Sed hic immoremur, neque progrediamur ulterius. *Idem.*

Veſtes nimis mundanæ ſunt indicia animæ parû caſtæ.

Fideine conſonum eſt, eam mulierem, quæ credi vult ſibi cordi eſſe honeſtatem, ac ſe perhorreſcere cane pejus, & angue, quidquid pudorem lædere poteſt, pati poſſe affectatos ornatus, quo libido, atque licentia pro illis tantum excogitavit, quarum proſtat pudicitia? Nequaquam libenter geruntur ejus domini inſignia, cui famulari detrectamus. Si impudicitiam horres, & execraris, cur illius notas gerere nec piget, nec pudet? Cur illas appetis illecebras, ex quibus ejus cupiditas poteſt ſuboriri? Si ab impuritate abhorres, cur eo in ſtatu prodis, qui illius ſuſpicionem ſaltem poteſt ingerere? Eſto quidem innocens, & ne improbiſſima quidem calumnia aliquam nomini tuo labem poſſit offundere; eſto etiam, quod vix aliquis ſibi perſuaſerit, nullo tenearis amore nugarum, quas aliæ depereunt, & quidquid agis, a te fiat, ut te conſuetudini accommodes, ne inter cæteras digitos noteris. Illud mihi negotium faceſſis, quod audio te adeo intentam eſſe, ut conſuetudini pareas, & ut omnibus, qui de novo prodeunt, ornatuum ritibus ſtudeas, teque hac in re eſſe adeo difficilem, ut nihil ſibi ſatisfacere valeat, ac ſi quid minus callide comptum, ornatumque eſt, iraſcaris, omneſque domeſtici indignationis tuæ experiantur effectus. Hoccine argumento eſt, te rebus hiſce parum inhærere, vel potius ab illis prorſus animo divulſam, eſſe quemadmodum te cogit Evangelium, atque religio. *Idem.*

Difficile eſt cum hac place di cura innocentiam tueri.

Profiteris tibi cum omnibus his ornamentis nullum pravum eſſe conſilium, nullam noxiam intentionem, atque conſcientiam tuam hac in re nihil tibi exprobrare; verum cogitaſne, quam difficile ſit amorem afflare, quin flagres eodem: Diffiteri nequis, omnia hæc ornamenta, quæ amorem redolent, adhiberi, ut ſpectaris, ut in te intuentium oculos convertas, verbo, ut videris venuſtior. Vis ergo placere, atque obtutu tuo eorum, qui te ſpectabunt, amorem illicere? Vis ergo ignem admovere, & uri vis? Te innocuam arbitraris, dum nocentes facis? Et quia in illud non ruis præcipitium, in quod alios impellis, te noxa vacuam putas? Scias apud Deum non differre eum, qui peccatum committit, ab eo, qui ad peccandum ſollicitat; Sanctos Patres docere quemadmodum inter duo hæc verba luxum, & luxuriam, unius tantum ſyllabæ diſcrimen intercedit, ita ab uno ad aliud crimen unum tantummodo gradum intereſſe; & eas, quæ tantam adhibent curam, ut amentur fidem adſtruere, ab ipſis etiam plurimum amari. *Idem.*

Qui in luxu vivunt, vitam ducunt parû chriſtianam

Quomodo amare poſſunt Deum illæ, quæ ſibi totum, corporiſque ſui curæ vacant? Quænam virtus inveniri poteſt in muliere, quæ meliores diei horas ſeſe calamiſtris exornando conſumit? Ullane virtus eſt, quæ fuci, nævorumque ope fulgidior videatur? Mortales adeo molles aguntne pœnitentiam ſub holoſericis, aureiſque indumentis? Equidem ſcio, me nunquam vidiſſe cilicia ex ſerico, auroque contexta, quamvis Tridentinum Concilium affirmet opus eſſe, veri Chriſtiani vitam jugem eſſe debere pœnitentiam; & conſtat veſtem, quam Scriptura, & Sancti Patres attribuunt pœnitentiæ, ab ea prorſus differre, quam mundanæ mulieres, & deliciis effæminati viri ut plurimum gerunt. Nunquid illæ bona opera exercent? Immo illæ quadam ex parte miſeros faciunt; veſtium ſuarum ſinus, ut loquitur Propheta, pleni ſunt ſanguine pauperum. Nunquid eleemoſynas erogant? Uberrimi reditus vix ſufficiunt ſumptibus, quos in pretioſis indumentis, atque ornatibus impendunt. *Idem.*

Aliena exempla, & conſuetudo non ſunt legitimæ excuſationes

Cauſa, quæ vulgo prætexitur, ut hoc malum probetur, conſuetudo eſt, & alienum exemplum. Omnes ejuſdem gradus, & nobilitatis mulieres hoc modo inducuntur, & memet eorum contemptui, & cachinnis objicerem, ſi veſte obſoleta, magiſque frugi ab illis vellem diſtingui. Hæc eſt conſuetudo, ais; verum licetne ex abuſu argumentum deſumere, ut alius propugnetur abuſus? Aliæ peccant, & ſi facis,